

tum aut altera, frequentius prorsus nulla observetur: & quas plures notatu dignissimas circumstantias indefessa Recentiorum industria annotavit. *Lunæ* verò maculas deprehenderunt lèvigationem & planam habere superficiem, nec ab omni sitùs mutatione prorsus exemptas esse, sed revera complures earum ad limbum *Lunæ* Borealem hærentes, aliquando limbo isti notabiliter appropinquare, & tunc alias oppositas ab Australi magis recedere: aliquando contra his ad limbum sive marginem australiem multò propius accendentibus, illas à Boreali multùm recedere, sicq; alternis hisce inclinationibus *menstruam* quandam lunæ librationem arguere: cæteras autem partes lucidiores in montos asperitates, alibi scrobibus ac vallibus ad oculum distinctas, hinc inde assurgere, umbrasq; manifestas in illa loca depressiora ex opposito solis projicere, quæ novum quoddam macularum inconstantium genus mentiantur. Cumq; ab omnibus retrò seculis pertinaciter creditum fuisset, omnium corporum cœlestium unam esse, & communem figuram, sphæricam nempe sive globosam, ex inopinato accidit, ut *Galilæo* primùm, deinde *Viris* aliis ingeniosissimis, Tubos specilla sua in *Saturnum* quoq; dirigenibus, corpus ejus variâ figurâ monstrosum, nunc triceps e.g. nunc ansas quasi brachia utrinq; protendens, modò easdem, (sicut ipse quondam suos liberos) resorbens, aliisq; imaginibus conspiceretur: donec deinde *Christianus Hugenius* à *Zülicke* prodigiosam Saturni faciem per integrum triennium contemplatus, cum ab annulo quodam medium ambiri, & æqualiter undiq; cingi deprehenderet. Quæ qvidem hypothesis novitate suâ, & insolitâ cœlestibus figurâ primô aspectu valde suspecta fuit, hodiè tamen Astronomis Philosophisq; acutissimis unanimi probatur suffragio, cum quod diversas illas facies, earumq; statas revolutiones pulchrè explicet, tum verò maximè, quod prænuntiatas ex illâ apparentias eventus definito quasq; tempore fideliter hactenus, quod scimus, exhibuerit. (35.) Detecti porrò 35: sunt tres Saturni Comites, sive Planetæ secundarii, medius qui-